



## **Locutio Dei Ad Cor Religiosi**

**Pawłowski, Daniel**

**Leodii, 1701**

Manè, Doctrina practica. De obligatione, & conatu supererogatorio semper proficiendi.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59541](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59541)



nibus, calumniis, irrisionibus. Graves sunt Superiores? dulcorat illos tibi Christus, suam damnatione per Annam, Caipham, Pilatum, &c. Nunquid hi non graves illi fuerunt? Graves tibi cibi male cocti, insulsi, viles, insufficientes? dulcorat illos tibi Christus felle & aceto suo, &c. Ipse judica, cui potius conveniant talia; Christo, an tibi? hoc expende, & omnia gravia, abhinc sint tibi pro Christo levia & dulcia.

COLLOQUIUM. Institue ad Dominum JESUM per Orationem illam, reflexè atque cum intimo affectu recitam: Anima Christi sanctifica me: & In fine Pater, & Ave.



## DOCTRINA PRACTICA,

Tempore Matutino Diei  
septimæ relegenda.

*De obligatione & Supererogatorio  
conatu semper proficiendi.*

Certum est 1. Quòd in via Dei non proficere, sit deficere; non progredi, sit regredi, non tendere ad perfectionem, sit retrocedere. Conveniunt in hoc SS. Patres, ex quibus S. Augu-



stinus Epist. ad Demetriadem ita loquitur; *Tamdiu non relabimur retrò, quamdiu ad priora contendimus: at, ubi cœpimus stare, descendimus, nostrumq; non progredi, reverti est.*

Certum est, 2. Religiosum sub peccato mortali teneri tendere ad perfectionem; doctrina hæc est communis Theologorum cum S. Thoma 2. 2. q. 284. art. 4. & 5. Nam Status Religiosus est status perfectionis acquirendæ, seu est via ad perfectionem: Sicut ergo sub mortali Religiosus tenetur esse Religiosus (id enim nuncupans vota Religiosa promittit Deo) ita sub mortali tenetur tendere ad perfectionem. Deinde, quia Religiosus non tendens ad perfectionem, committit peccatum simulationis, mendacii & hypocriseos in materia gravi; status enim Religiosus promittit omnibus, & ostendit sanctitatis perfectionisque curam, ideoque habet reverentiam apud omnes, etiam summi status homines, & privilegia in omni jure maxima: Si igitur aliter se haberet Religiosus, certè non esset immunis à peccato imposturæ in re gravi.

Certum esse videtur, 3. Quòd Religiosus peccaret mortaliter contra præceptum tendendi ad perfectionem, si esset efficaciter resolutus, non nisi ea servare, ad quæ servanda obligatur sub mortali; reliqua verò, venialiter so-



lum aut sub nullo præcepto obligantia, paratus esset non servare. Docent id gravissimi Patres, nec in doctrina solum Theologica, sed in spiritu Religioso eximii, Suarez, Sanchez, aliique: quamvis enim talis resolutio, & tale animi decretum in seipso spectatum non sit mortale, sicut & propositum committendi omnia peccata venialia, in se præcisè spectatum, non est mortale; ratione tamen periculi proximi incidendi in peccatum mortale, etiam illud ipsum animi decretum est mortale: Si enim Viri prudentes, dum concordia sententia asserunt, aliquid periculosum esse, faciunt certitudinem mortalem periculi proximi, multò magis dum Deus dicit, *Eccl. 19. Qui spernit modica, paulatim decidit*, facit certitudinem periculi proximi perveniendi ad ruinam per modica violata: resolutio autem ad periculum proximum ruinæ, seu peccati mortalis, est & ipsa mortalis.

Præterea, ut bene explanat Sanchez, *lib. 6. in Decal. c. 4. n. 18.* Religiosus tenetur sub mortali taliter vivere, ut non sit graviter suæ Religionis perniciosus, inducendo alios Religiosos suo exemplò ad nimis relaxatam regulam, perturbandoque suam Religionem, ita ut valde expediat suæ Religioni, eum expellere? hæc autem damna inferret Religiosus, habens prædictam resolu-



tionem : si enim nunquam vellet servare silentium , nec orare , nec modeste incedere , & ingrederetur omnium Religiosorum cubicula , & similia Religionis statuta transgrederetur , eò quòd singula hæc ad culpam non obligent , absque dubio graviter perturberet totam Religionem , & se in eo statu constitueret , ut eum tanquam incorrigibilem oporteret expellere : hæctenus Sanchez. Atque hæc de obligatione semper proficiendi : jam quæ ad supererogatorium ( placentē tamen Deo ) conatum attinet , perstringo.

Primò , usitatum est servis Dei fervens & continuum proficiendi desiderium : sunt enim è numero eorum , qui esuriunt & sitiunt justitiam , ausimque dicere , quòd sicut ex Sacramento Eucharistiæ tantus percipitur fructus , quantum desiderii igniti à communicatio adfertur , ut docuit Deus S. Catharinam Senensem , *Dialog. cap. 110*. Ita Religiosum in via Dei ad perfectionem tantos facturum passus , quantum de desiderio proficiendi habuerit.

Secundò , solent aliqui servi Dei ex desiderio proficiendi quotidie secum inire rationes , an profecerint , an verò defecerint ? sic factitabat S. P. Ignatius ( ut scribit P. Ribad. in vita ipsius *lib. 5. cap. 1.* ) presentem diem cum hesternò conferens , & cum profectu profe-



Etum, atque ad hoc exactius præstandum suggestit illi Dominus examen particulare, tam ad eradicanda vitia, quàm implantandas virtutes aptissimum. Hoc divino invento usi Patres nostri, cælestes progressus fecêre. De P. Jacobo Granado, qui primus in Provincia Bætica, pro nostris obtinuit facultatem recitandi Officium de SS. Sacramento quavis Feriâ quintâ, 9. Lætionibus non impeditâ, & in eadem Provincia primus fuit auctor recitandi Officium de Immaculata Conceptione B. V. diebus Sabbati; de eo, inquam, perhibet Bibliotheca Scriptorum Societatis, quòd ad ultimum usque mortis diem examen particulare instituerit, & profectum etiam alienâ manu, cùm propriâ ob infirmitatem non posset, adnotaverit: idem ad nuntium mortis elatis manibus exclamavit: *Latus sum in his, qua dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus: Visurus nempe Deum Deorum in Sion, postquam tali invento exanimis ivit de virtute in virtutem.*

Tertiò, non desunt servi Dei, qui præter desiderium addunt etiam votum semper progrediendi in via Dei, seu tendendi ad perfectionem. Tale Votum nuncupâsse narratur P. Nicolaus Lancicius Societatis nostræ, famâ sanctitatis & miraculorum in Regno Poloniae &



magno Ducatu Lithuaniae clarus : circa votum ejusmodi , solius doctrinae gratia , hæc innuo. Siquidem perfectio Christiana consistit in amore Dei super omnia , atque ita tendere ad perfectionem , est tendere ad talem amorem , & quia talis amor Dei opponitur omni peccato , & habitibus vitiosis , passionibusque immortificatis , & desideriis inordinatis : ideo is , qui vovit semper tendere ad perfectionem , obligatur novâ obligatione sub mortali , quodvis peccatum mortale devitare : obligatur quoque de novo sub veniali , vitare peccata venialia , passiones mortificare , & habitus vitiosos extirpare , ac desideria inordinata refrænare. Obligatur insuper exercere actus virtutum , juxta statum vitæ proprium , præsertim verò actus amoris Dei super omnia frequenter elicere.

Quartò , habet Deus etiam tales servos , qui studio obtinendæ perfectionis præter votum semper proficiendi peculiari voto se obstringunt , curandi & sectandi semper id , quod perfectius illis videbitur. Tali voto obstrinxerat se S. Theresia , ut perhibetur in ejus vita. De Patre quoque Joanne Brebeuf , Societatis nostræ refert P. Nadasi in Anno dierum illustrium 16. *Martii* , eum decem-annis ante diem mortis voto nuncupato spondidisse Deo , se in



singulis, quæ ageret, id quod perfectius esse intelligeret, curaturum. Compensavit illi Dominus votum hoc exquisitissimo Martyrio, quod Anno 1649. subiit apud Hurones in nova Francia ab Iroqueis Ethnicis; nam capto primum evulsi sunt ungues aliquot, & inflicta sudibus verbera per singulas corporis partes; tum præcisæ manus, os contusum lapidibus, lingua adusta, ad collum & ad renes igne candentes admotæ secures: ignitum è collo appensum collare, adjectum cingulum ex pice & resinatis corticibus accensum; circulo labia concerpta, truncatus nasus; in Baptismi opprobrium totus fuit bulliente aqua perfusus; tandem ad palum alligato detracta Superior pellis è vertice capitis; amputati pedes; caro è coxis ad ossa usque avulsa; mandibula securi diffissa; ferro ustæ plagæ; dissectum pectus; cor evulsum, atque à Barbaris devoratum: tam exquisitam pro Deo nactus est mortem, qui eidem, exquisito perfectionis voto consecraverat vitam. Pudet, Domine Jesu, hæc de servis tuis scribere, & legere tam perfecta; pudet, inquam, nos in imperfectionibus nostris delitescentes, & quando tandem earum finis erit?